Hunt Institute for Botanical Documentation
5th Floor, Hunt Library
Carnegie Mellon University
4909 Frew Street
Pittsburgh, PA 15213-3890
Contact: Archives
Telephone: 412-268-2434
Email: huntinst@andrew.cmu.edu
Web site: www.huntbotanical.org

The Hunt Institute is committed to making its collections accessible for research. We are pleased to offer this digitized version of an item from our Archives.

Usage guidelines
We have provided this low-resolution, digitized version for research purposes. To inquire about publishing any images from this item, please contact the Institute.

About the Institute
The Hunt Institute for Botanical Documentation, a research division of Carnegie Mellon University, specializes in the history of botany and all aspects of plant science and serves the international scientific community through research and documentation. To this end, the Institute acquires and maintains authoritative collections of books, plant images, manuscripts, portraits and data files, and provides publications and other modes of information service. The Institute meets the reference needs of botanists, biologists, historians, conservationists, librarians, bibliographers and the public at large, especially those concerned with any aspect of the North American flora.

Hunt Institute was dedicated in 1961 as the Rachel McMasters Miller Hunt Botanical Library, an international center for bibliographical research and service in the interests of botany and horticulture, as well as a center for the study of all aspects of the history of the plant sciences. By 1971 the Library's activities had so diversified that the name was changed to Hunt Institute for Botanical Documentation. Growth in collections and research projects led to the establishment of four programmatic departments: Archives, Art, Bibliography and the Library.

~~2 91~~

5

A Monsieur

Monsieur Jacquin, Celebre

Professeur de Botanique

8

a Viene

7 / 4

r. 29 Januarii 1774.
Cortalena.

Hunt Institute for Botanical Documentation

Doctiſsimo atq; amiciſsimo Viro

Nicolao Joſepho Jacquin

S. p. d. Jacobus Dick.

Exoptatiſsimæ Litteræ Tuæ animum meum magna ſollicitudine liberarunt, certiorem me facientes Te Vir amiciſsime atq; Illustrem nostrum Mygindium quorum amicitiam inter pretioſiſsima mea reputo, mei non oblitos fuiſse, gratias itaq; ago pro donis miſsis, ago pro promiſsis, et officia mea qualiacunq; Vobis ex animo offero, nunc per partes reſpondeo. Tozziam ~~quæ~~ ego quidem in alpibus nunquam offendi, habeo tamen ab amicis lectam. quoad Veronicas quæro an itaq; Veronica Teucrium Lin. a Veronica Pſeudochamædri Tua. Hall. 537. differat, et ſi differt, uti nomen novum inditum innuere videtur nonne poſset mihi veram Veronicam Teucrium communicare. Veronica vero latifolia, cum, uti ex Flora Tua patet, a Veronica urticifolia differat, forte atq; ac Antirrhinum ægyptiacum. Plantæ enim quamaxime incertæ. Baltimoram, Ecliptam, ontriaq; quæ hortulus curioſa hoc año protulit, certo in proximo faſciculo in ſemine quoq; ſi fieri poteſt habebis. Crotalaria cujus deſcriptionem miſi ab incana certo differt uti ex folio miſso judicabis. incana habet folia ovali-oblonga, baſi et apice anguſtioribus, ſubtus et nervis et areis intermediis villoſa. noſtra vero foliola obverſe ovata apice retuſa ſubemarginata nervis ſolis hirſutis areis glabris. prætera legumina fuſca ſtriis purpureis ſunt picta, quod in incana non obſervavi. ejus quoq; ſemina matura cum aliis Tibi mittam.

Hunt Institute for Botanical Documentation

nec ego de Rosis hac æstate multo certior sum factus, vereor imprimis fructus figuram haud adeo constantem esse quam ab initio credidi, fructus aliquos maturos observavi sed non multos, tamen edoctus fui, omnino ex mente Ill. Nygindi sub Rosa villosa duas contineri species, figura et colore fructus præcipue diversas. Tuas de Rosis observationes ut mihi communicare velis impense rogo. nullus dubito Arenariam & Alsinen mucronatam eandem constituere speciem. cum tamen nostra procul abhinc crescat, eam hac æstate observare haud potui. Verbenæ Tuæ rosea Historiam qualem ego quidem dare potui videbis in Observationibus meis no. 293. Sub Obletia verbenulacea nomine, omnino de Mr. Aublet originem trahente descripta extat ni fallor in T. I. des Observations sur la Physique, l'histoire naturelle et les arts cujus Author est Abbas Rozier. librum ~~[illegible]~~ vidi ~~nec adeo~~ tantum raptim et longe prius quam plantam ipsam, nec adeo descriptionem cum ea aut mea comparare potui.

Quod Plantæ Lythro proximæ nomen meum imponere volueris, est honor immeritus, quem et ideo pretiosissimum duco quod ab amico procedat. plantæ variæ hac æstate sub dio et in ollis et in horticulo læte vigerunt.

Silene quadrifida quam misisti omnino eadem est quam Hallerus noster n. 918 describit. licet fructum rotundum dicat. ex specimine enim apposito judicare poteris, ejus capsulam hic ut in Austria ovato oblongam esse.

e pulcherrima flora Tua didici Dianthum alpinum etiam in hortis facile coli posse, rogo itaque ut suo tempore etiam semina elegantissimæ hujus plantulæ mittas.

Lavatera thuringiaca. Carduus pygmæus Inula oculus Christi. Senecio Doria Filago pyramidata. Salix fusca. Holcus odoratus. Splachnum ampullaceum.

Jam aliquando Vir amicissime ab amico rogatus ex Te quæsivi anon Tua interventione Collectio mineralium præsertim Auri hungaricum haberi posset, respondisti ejusmodi Collectionem subinde vendi pro centum aureis. amicus iterum rogat, quales sint hi aurei quot batzenis constent aut quot unum ducatum constituant, et anon priusquam collectio emeretur ejus Catalogus ad inspiciendum mitti posset. Si per Occupationes Tibi liceat amico meo hac in re inservire gratias quam maximas Tibi haberem.

Litteras Ill. Mygindi gratissimas suo tempore accepi, proximeque ad eas respondebo.

Si id quod monente Gaffero pro Te in Litinere versatur nondum accepisti forsan a Cl. de Saussure erit, qui ante aliquot menses cum Berne esset mihi dixit se velle Tibi quædam mineralia & Petrificationes mittere.

Plantas quæ in fasciculis Mygindianis Tibi dicatæ erant haud dubie accepisti, ad observationes in iisdem fasciculis contentas mentem Tuam mihi aperias rogo. Vale Vir amicissime et me ut hisce Soles ama. Dabam in Bollige 6. 9bris 1773.

P. S. Si aliquando Plantis Siccis mihi destinatis sequentes addere poteris, gratissimum foret. Veronica austriaca. Salvia pratensis. valeriana elongata. Agrostis Sepium Aira alpina Poa trivialis — distans. Festuca bromoides. Bromus inermis Arundo epigejos. Cynosurus paniceus Cortusa Matthioli Primula minima. Phyteuma comosa. Campanula pulla — patula — alpina gentiana pumila. Salsola Tragus. Chenopodium urbicum — glaucum. Heracleum panaces. Ligusticum austriacum. Peseli Hippomarathrum Pimpinella pumila. Linum austriacum. Allium ampeloprasum — Scorodoprasum. Rumex aquaticus. Rhododendron Chamæcistus. Saxifraga Geum. Euphorbia falcata — Stricta — pilosa — hyberna — amygdaloides. Sorbus domestica. Cistus serpyllifolius. Athamanta austriaca. Lamium album. Scutellaria hastifolia Draba pyrenaica. Thlaspi alliaceum. Cardamine petræa.

Hunt Institute for Botanical Documentation